

Le livre des serfs de Marmoutier, Nr. 86

Notum sit universis successoribus nostris quod famulus quidam, ex parentibus liberis ortus, nomino Fulcherius, amore divino compunctus, ut sibi benignitas Dei, apud quem personae nullius acceptio, sed uniuscujusque respicitur meritum, propiciari dignaretur, semetipsum pro amore illius tradidit in servum Sancto Martino Majoris Monasterii; ea videlicet ratione, ut non solum ipse, verum etiam omnis ex eo nascitura progenies, jure perpetuo abbati Majoris Monasterii atque fratribus ejusdem loci conditione servili famuletur. Ut autem haec sui traditio certior et evidentior appareret, ipse signorum etiam cordas collo suo circumferens, et pro recognitione servi IIIIor de capite proprio denarios super altare Sancti Martini ponens, semetipsum omnipotenti Domino sic obtulit. Nomina vero testium qui traditionem hanc videntes et audientes affuerunt, subter inserta sunt. Richardus major. Guarnerius major. Otbertus senior. Otbertus junior. Guarinus clericus. Gausmarus clericus. Anseisus cellararius. Hildebertus coquus. Hildegarius mariscalcus. Frotgerius mariscalcus. Bernardus de hospitali. Giraldus. Herveus Boso. Constantius.